QUAESTIONES QUINTILIANEAE.

QUAESTIONES QUINTILIANEAE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI
ACADEMIAE FRIBURGENSIS

PRO

SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS INPETRANDIS

OBSERVANTISSIME

OBTULIT

FRANCISCUS BAHLMANNUS
AMSTELODAMENSIS.

BEROLINI
FORMIS ACADEMICIS
MDCCCLVIIII.

PARENTIBUS
OPTIMIS DILECTISSIMIS

D. D. D.
FRANCISCUS BAHLMANNUS.

Inter omnes, qui adhuc innotuerunt codices Quintilianeos nullum reperiri, cui et ob vetustatem et ob originis auctoritatem in primis saltem libris recognoscendis tantam fidem tribuere liceat, quantam codici Ambrosiano primo, viris doctis, qui per triginta abhinc annos huic institutionis oratoriae parti criticam facem adtulerunt, satis persuasum est. Itaque Zumptio summa laus debetur, quod editione Spaldingiana a Buttmanno absoluta, ea codicis illius testimonia, quae usque ad nonum librum Spaldingio nondum ad manum fuerant, in quinto volumine conposuit sibique et aliis philologis novae editionis parandae copiam fecit. Spaldingius enim, cum iam duo volumina confecisset, iter in Italiam suscepit, qua occasione fieri non potuit, quin animum aduerteret opibus illis recognoscendis, quas se in bibliotheca Ambrosiana vidisse testatus erat Isaacus Vossius, scilicet codicem literis uncialibus scriptum. Sed frustra; neque mihi codicum catalogum inspicienti atque bibliothecae praefectum virum summae comitatis interroganti, thesaurum tam antiquom reperire contigit. Spaldingius vero codicem, qui nunc Ambrosianus primus nominatur, repperit, cuius scripturae varietates inde a nono libro propter temporis angustias conlegit, reliquam tamen partem a C. Bugato, Abbate, bibliothecae illo tempore praefecto, conferendam curavit. Quamquam huius codicis scripturas maiore cum cura, quam multorum aliorum codicum conlectas esse constat, tamen tantum abest, ut Zumpti de conlatoris diligentia iudicio confidendum sit, qui praef. pag. XXI, nisi gravis quaedam caussa obstet, etiam silentio suam fidem deberi dicit, ut novo Quintiliani editori conlatio denuo instituenda sit. Nam non solum parum adcurate, quid prima manus, quid secunda scripserit, adnotatum est, sed etiam pleraeque scripturae varietates, quas si non omnes, certe plurimas infra adiciam, omissae sunt. Itaque primum eam codicis partem, quae ad librum primum pertinet (hanc enim solam cognovi) aliquanto adcuratius quam adhuc factum est describam et scripturae varietates a Bugato omissas adnotabo, deinde huius codicis potissimum auctoritate nisus aut nonnullas scripturas

Inter omnes, qui adhuc innotuerunt codices Quintilianeos nullum reperiri, cui et ob vetustatem et ob originis auctoritatem in primis saltem libris recognoscendis tantam fidem tribuere liceat, quantam codici Ambrosiano primo, viris doctis, qui per triginta abhinc annos huic institutionis oratoriae parti criticam facem adtulerunt, satis persuasum est. Itaque Zumptio summa laus debetur, quod editione Spaldingiana a Buttmanno absoluta, ea codicis illius testimonia, quae usque ad nonum librum Spaldingio nondum ad manum fuerant, in quinto volumine conposuit sibique et aliis philologis novae editionis parandae copiam fecit. Spaldingius enim, cum iam duo volumina confecisset, iter in Italiam suscepit, qua occasione fieri non potuit, quin animum aduerteret opibus illis recognoscendis, quas se in bibliotheca Ambrosiana vidisse testatus erat Isaacus Vossius, scilicet codicem literis uncialibus scriptum. Sed frustra; neque mihi codicum catalogum inspicienti atque bibliothecae praefectum virum summae comitatis interroganti, thesaurum tam antiquom reperire contigit. Spaldingius vero codicem, qui nunc Ambrosianus primus nominatur, repperit, cuius scripturae varietates inde a nono libro propter temporis angustias conlegit, reliquam tamen partem a C. Bugato, Abbate, bibliothecae illo tempore praefecto, conferendam curavit. Quamquam huius codicis scripturas maiore cum cura, quam multorum aliorum codicum conlectas esse constat, tamen tantum abest, ut Zumpti de conlatoris diligentia iudicio confidendum sit, qui praef. pag. XXI, nisi gravis quaedam caussa obstet, etiam silentio suam fidem deberi dicit, ut novo Quintiliani editori conlatio denuo instituenda sit. Nam non solum parum adcurate, quid prima manus, quid secunda scripserit, adnotatum est, sed etiam pleraeque scripturae varietates, quas si non omnes, certe plurimas infra adiciam, omissae sunt. Itaque primum eam codicis partem, quae ad librum primum pertinet (hanc enim solam cognovi) aliquanto adcuratius quam adhuc factum est describam et scripturae varietates a Bugato omissas adnotabo, deinde huius codicis potissimum auctoritate nisus aut nonnullas scripturas

vindicabo, aut ex aliis eisdemque corruptis emendationes elicere, aut difficiles aliquos locos explicare conabor.

CAPUT PRIMUM.

Codex Ambrosianus I, membranaceus, forma maxima, quam folio metimur, signatus est litera E, numero 153 iudicio virorum doctorum saeculi decimi, vel prioris undecimi partis. Fuit olim familiae Barbavariorum, aliquando Francisci Cicerei. Primum folium rescissum est, nonnulla alia, partim propter squalorem, qui huc illuc inrepsit, partim quidem propter antiquitatis vim nigruisse invenimus. Inscriptiones tantum et primae capitum aut partium literae forma unciali conscriptae sunt. Binis columnis, spatio vacuo interiecto, librarius atramento interdum pernigro, interdum pallidiore, literarum ductu gravissimo et distincto, scribendi conpendiis paucis usus est. Corrector aliquis, quantum ex literarum ductu conpendiisque adhibitis conicere licet, aetate a scriptore primario haud multum distans, si non ubique, tamen plerumque certo corrigendi fundamento adiutus fuisse videtur. Aut vocibus literisve primariis abrasis vocabula singulasve literas in locum substituit, aut verba literasve omissa lineis superscripsit, aut maiores lacunas, ut libro primo, Capite 2. inde a § 6 „connellum poscit .... usque ad § 8 „antequam sciant" explevit. Statim in libri I initio nonnullae verborum explicationes, quae certo nihil ad rem faciunt, lineis superscriptae reperiuntur. Praeterea quamquam perraro, tamen hic illic in alteram correctoris manum offendi, atramenti colore pusillaque literarum forma recentioris aetatis speciem exhibentem. Difficile erat, ubique certo iudicio decernere, num literam aliquam (nam de verbis non saepe exorta est dubitatio) prima an secunda manus scripserit, quia utrum aliquid erasum sit, an conditione membranae primaria parum levis falso commutatum adpareat, non utique satis adcurate distinguere mihi contigit. Scribendi autem conpendia, a prima manu adhibita, quamvis pauca, fere haec sunt: *us* in fine verborum interpunctione tantum significatur, velut quib; = quibus, m litera saepe linea superscripta indicatur, velut quē = quem, quāvis = quamvis; praeterea inveni q; = que, peterent' = peterentur, elem̃ta = elementa, nr̃a = nostra, om̃a = omnia, cs̃uetudo = consuetudo, au͂t = autem, suN̆ = sunt, reip̃ = reipublicae, semp = semper, om̀s = omnes, ẽe = esse, n̄dum = nondum, ppt = propter, dño = domino, ę = ae; & = et perraro a prima manu scriptum rep-

Ad hujus dissertationis pg. 6.

nondum prima uerba exprimit iā cocū
intelligit iam conchylium poscit, ante
palatum eorum quā mores instituimus;
in lecticis crescunt; si terrā attigerunt
e manib; utrimq; sustinentiū pendent;
gaudemus si qd licentius dixerint; uerba
ne alexandrinis quidem pmittenda deli
ciis risu et osculo excipimus; nec mirū nos
docuimus ex nob audiunt nrās amicas nrōs
cōcubinos uident, omne cōuiuiū obscenis canticis
strepit, pudenda dictu spectant fit ex
his cōsuetudo, dein natura, discunt haec miseri
ante quam sciant uitia esse, inde soluti.

peri. Nulli super i litera apices neque a librario primario neque a correctore usurpati conspiciuntur. Conpendia, quibus corrector usus est sive quae dicitur manus secunda cum eis, quae iam adtuli, maxime conspirant, nisi quod haec fere adicienda sunt: ꝓtinus=protinus, p̄stat=praestat, ꝑmittenda=permittenda, ē=est, gaudem+ = gaudemus, aliq'd = aliquid, lict̄ius = licentius, nob̄ = nobis, aeq̃e = aeque, &iam = etiam, is terminationem dativis vel ablativis, quae volgo appellatur tertiae, quartae, quintae declinationis corrector literae b saepe adiecit.

Sequitur, ut nunc varias lectiones a Bugato omissas adiciam.

Prooem. § 6. perducere *festinabimus.*

8) et *quantum* nos poterimus elaborata

9) sed omnis animi virtutes *exigemus* (exigimus prima man. scripsit, ab eadem manu i in e commutata esse videtur.)

14) ut soli *studiosi sapientiae*

24) artes *nimiae* subtilitatis affectatione

I. 1. 15) nam *is primum ypotheticas*

35) monentis proseq*uu*ntur (non satis distincte internoscere mihi contigit, num altera u a prima an a secunda manu in a commutata sit.)

a

36) licet (haud scio an secunda an tertia manus a literam superscripserit.)

37) mult*ae* linguae vitia

Secundi capitis inscriptio haec est: *Utilius domi an scolis erudiantur.*

2. 4) corrump*a*ntur interim

conservatae *sanctissime utrobique* (membrana abrasa partim quidem diverso atramento secunda manus scripsisse videtur.)

5) gravem *virum liberum* aut fidelem libertum; (virum membr. abr. m. 2 scripsit.)

6) iam *connellum* poscit. (membr. abr. m. 2.)

13) quantuscumque adhibeatur numerus.

14) poemata narret

16) ita *non* erimus in turba.

23) et ita superio*r e lo*co quisque

31) ad unum auditorem *dimittere*

3. 1) *perspiciet*

4) quicquid *illud* possunt statim

omb

6) Danda est *autem* aliqua, (omb lin. m. 2 superscripsit.)

4. 5) copiose et proprie, (nisi fallor m. 2 scr.)

12) Quare *e*discat puer.

13) mill*e talia*

16) *polixena*

5. 5) acriter *semper* illud

13) etiamsi est in transmutatio

31) quoniam eadem flexa et acuta. (Haec verba non inveniuntur in cod. A 1 neque lacuna superest, qua aliquid omissum esse indicetur.)

51) *Est enim* soloecismus.

52) megalesia

55) ut homines, *ut instituto*

56) *Vetticium*

61) *nec* miremur (membr. abr. m. 2.)

65) aut du*a*bus quasi corporibus

68) autem aut *ex* duobus

69) et erept*i* m. 2

71) etiam *iniquius* exeunt; (nescio an u in vocabulo „iniqui*u*s" altera ex alia litera enata sit, certe prima manus scripsit.)

6. 7) productam hab*eant*

8) fervit aqua et fervit ad annum

13) patros patris apros apri

14) ut *non* quamvis feminina singulari nominativo *os*

17) Inhaerent tamen *ei* quidam

21) litteratus *quis ne as*pirata

22) *sulpur* autem et guttur
litteram genetivo

23) quam si sulpuris et gutturi*su*bigerent in genetivo, *su* m. 2.
fieri vult *ex his ebura robora m*armora; literae lineae superscriptae a m. 2. loco magnam partem abraso, partim in margine conlocatae sunt.)

24. *limes miles militis limitis iudex iudicis;* (haec verba a prima manu omissa a secunda manu partim inter lineas partim in margine adscripta sunt.)

37) dictos *volunt* persuadere Ciceroni.

7\. 1) quae sit *dicendi* regula
4) *secunda* syllabae
6) vider*et*ur
et *cottidie* non cotidie
15) fu*ri iu*sseris
16) utem*ur ge*mina
21) Caesaris *instruc*tione
25) ceteraque *in* eundem modum
8\. 5) subtili*tato heroi* carminis
15) Circa glossemata *enim* id est
18) His acced*i*t enarratio
9\. 6) latini *rhetores*
10\. 1) *quem* graeci
2) sol*et an* sint huic operi necessariae *quaeri*
12) *monitis* dederint
22) aptus quidam *motus* desideratur.
31) *quam* mihi
nunc in *cae*nis
43) per ora intra
at si quini denique
48) tali causa
11\. 5) non *eval*uerunt — molliuntur
12\. 2) vim suam *intendat*
4) s*it* aliqua*ndo*
15) praestare p*otue*rant
18) perpetuum il*lud*.

CAPUT SECUNDUM.

Sequitur iam nunc, ut ad singulos locos aut recensendos, aut emendandos, aut explicandos accedam. In qua re ita versandum erit, ut non, nisi satis caussae obstiterit, Ambrosiani primi codicis scriptura reiciatur, emendatioque, quantum fieri poterit, ex verbis literisve in eo depravatis eliciatur.

Prooem. § 6. „Quod opus, Marcelle Victori tibi dicamus: quem cum amicissimum nobis tum eximio literarum amore flagrantem non propter haec modo (quamquam sint magna) dignissimum hoc mutuae inter nos caritatis pignore iudicabamus, sed quod erudiendo Getae tuo, cuius prima aetas manifestum iam ingenii lumen ostendit, non inutiles fore libri videbantur, quos ab ipsis discendi velut incunabulis per omnes, quae modo aliquid oratori futuro conferant, artes ad summam eius operis perducere festinabimus; atque eo magis, quod duo iam sub nomine meo libri ferebantur artis rhetoricae neque editi a me neque in hoc comparati". (Scriptura cod. Ambr. 1.). — § 6. Scriptura „destinabamus" post verbum „perducere", quantum scio, omnes editiones occupavit. Quamquam per se ferri potest, tamen in dubitationem venit ob codicis Ambrosiani primi auctoritatem, qui pro „destinabamus" „festinabimus" exhibet. Quod quidem verbum sententiam praebet et aliis locis a scriptore expressam et si minus in totum opus, tamen in nonnullas partes parum expolitas quadrantem. Dicit enim Quintilianus Prooem. lib. VI. § 2. „At me fortuna id agentem diebus ac noctibus *festinantemque* metu meae mortalitatis ita prostravit, ut laboris mei fructus ad neminem minus quam ad me pertineret." VIII. 4, 146. „Compositio (nam finem imponere egresso destinatum modum volumini *festino*) debet esse honesta, iucunda varia." Neque temporis futuri forma aliquid habet offensionis, cum scriptor ubi in hoc prooemio propositum suum indicat, fere utique hac verbi forma utatur. § 5. „Ego .... demittere me non recusabo ... . incipiam." § 8. „Quare in his quoque libris erunt aliqua" etc. § 9. cum in Ambros. 1. „exigemus" reperiatur, ob eandem caussam recipienda est. § 11. „Quare, tametsi me fateor usurum quibusdam." § 12. „dubitabitur." § 21. „Quo magis impetranda erit venia si ne minora quidem ... praeteribo." „Nam liber primus .... continebit." „Secundo ...... tractabimus." § 22. „Quinque ...... dabuntur. Unus accedet, ... quantum nostra valebit infirmitas." § 23. „His omnibus admiscebitur, ut quisque locus postulabit." § 25. „breviter omnia demonstraturi." Verbis igitur hoc modo constitutis, quae secuntur: „atque eo magis, quod etc." arctissime coniungenda sunt cum ea sententia, quae in his verbis antecedentibus inest: „sed quod erudiendo Getae tuo .... non inutiles fore libri videbantur." 8. „Quare in his quoque libris erunt eadem aliqua, multa

mutata, plurima adiecta, omnia vero compositiora et, quantum nos poterimus, elaborata."

Scriptura „quantum nos poterimus elaborata" ob cod. Ambr. 1 auctoritatem recipienda est. Quae si Burmanno conperta fuisset, adnotationem hanc: „quam" pro „quantum" hoc loco dictum esse omisisset, neque Heins. ad Ov. Rem. Am. 325 in auxilium vocasset.

I. 2. 5. „At si bona ipsius (sc. pueri) indoles, si non caeca ac sopita parentum socordia est: et praeceptorem eligere sanctissimum quemque (cuius rei praecipua prudentibus cura est) et disciplinam, quae maxime severa fuerit, licet, nihilominus amicum gravem virum liberum aut fidelem libertum lateri filii sui adiungere, cuius assiduus comitatus etiam illos meliores faciat, qui timebantur. (Scr. cod. A. 1.)

Vocabulo „liberum", ut par est, ex cod. Ambr. 1 recepto iusta demum et elegans exoritur orationis membrorum aequalitas. In verbis praecedentibus, quamquam inter vocabulum „licet" et „nihilominus" optimus liber coniunctionem „et" omnino non habet, tamen hoc loco ceterorum codicum scripturam „et" praebentium praetulerim, primum, quia non desunt exempla eiusmodi copulandi rationis similia cf. Bonn. lex. praef. p. xxxvi et lex. s. v. „et" p. 293., deinde quia ob literas antecedentes particula „et" facillime excidere potuit. Denique non video caussam sufficientem a scriptura „timebantur" decedendi. Haec enim sententia esse videtur: adsidua cum pueris consuetudine viri graves, qui antea saevitia aliqua et imperandi lubidine cf. I. 1. 8. pueris metum iniciebant, asperos illos mores paullatim deponunt melioresque fiunt.

—

Supersunt scripturae nonnullae in primis huius libri capitibus, de quibus dubitare possis, recipiendaene sint ex codicis Ambrosiani primi auctoritate sola necne, velut Prooem. § 14. „Nomen (sc. philosophiae) tamen sibi insolentissimum arrogaverunt (sc. philosophi), ut soli *studiosi sapientiae* vocarentur." § 24. „Nam plerumque nudae illae artes (sc. rhetoricae) *nimiae* subtilitatis affectatione frangunt atque concidunt quidquid est in oratione generosius etc." 2. 13. „Taceo de partitionibus et declamationibus rhetorum: quibus certe *quantuscumque adhibeatur numerus*, tamen unusquisque totum

feret." 2. 16. „Ita *non* erimus in turba." 3. 8. „Danda est *autem* omnibus aliqua remissio." 4. 5. „Eloquentia quoque non mediocri est opus, ut de unaquaque earum, quas demonstravimus, rerum dicat *copiose et proprie*.

Utram enim scripturam sequeris aut quae ab editoribus ex codicibus deterioribus recepta est, aut quae optimi libri auctoritati soli niti videtur, utique aliquid per se probabile efficietur parva aut fere nulla sententiae differentia, neque patet, utra ex utra lectio facilius enasci potuerit. Itaque si revera codex Ambros. 1. a depravatione maxime remotus est, verba eius, quoad licet, retinere cautius erit.

—

Transeo nunc ad locos quosdam corruptos, quorum depravationi codicis Ambrosiani primi auctoritate nisus mederi conabor.

I. 1. 23. „An Philippus, Macedonum rex, Alexandro filio suo prima literarum elementa tradi ab Aristotele, summo eius aetatis philosopho, voluisset, aut ille suscepisset hoc officium, si non studiorum initia et a perfectissimo *horum* optime tractari et pertinere ad summam credidisset?" (Scr. cod. Ambr. 1. *h* in vocabulo „*ho*rum" loco abraso a manu secunda scripta videtur, ita ut antea duae vel tres literae conscriptae fuisse potuerint. Utrum porro pro „e" in „optime" antea a prima manu „o" collocata fuerit, dignoscere non potui.)

—

In libris deterioribus, quamquam partim perantiquae originis, veluti Bambergensis saec. X. (in qua superscriptum legitur „horum") pro „horum" scriptura „quoque" reperitur, quae ab omnibus fere editoribus temere recepta esse videtur. Nam certe non intellegitur, quacum verisimilitudine vocabulum „quoque", quod per se parum praebet offensionis, commutatum sit in „horum", quod hoc loco ferri nequit; facilius vero contra. Cum vero Mannerti aliorumque observationibus diplomaticis constet, „*phia*" conpendio „philosophia" indicavisse, quidni „phorum" = philosophorum? Quaeritur igitur, credibilene sit conpendium „phorum" pro „philosophorum" in archetypo codicis Ambros. 1. extitisse. Quod si ita est, una litera sufficit ad scripturam codicis Ambrosiani primi tuendam iustumque sensum evincendum.

—

I. 2. 6. „Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes et mentis et corporis frangit. Quid non adultus concupiscet, qui in purpuris repit? Nondum prima verba exprimit, iam locum intelligit, iam cunnellum poscit. Ante palatum eorum, quam mores instituimus. In lecticis crescunt, si terram attigerunt, e manibus utrimque sustinentium pendent. Gaudemus, si quid licentius dixerint." (Scr. cod. A 1. „frangit" l. abr. m. 2. „qui" inter „concupiscet" et „in" a 2 m. lin. superscr. „iam locum intelligit" a 2 m. l. abr. „cunnellum" l. abr. nisi fallor a 2 m. Inde ab „ante palatum .... usque ad § 8. „antequam sciant" initio lacuna fuisse videtur, quae a manu secunda expleta est.) —

—

Verba haec „iam locum intelligit, iam cunnellum poscit" corrupta esse quivis videt. Interpretes ad unum omnes aut scripturam „coccum" codicibus Turicensi, Lassbergensi, Bambergensi a manu secunda nitentem defenderunt, ut Regius, Mosellanus, Pseudo Turnebus, Pareus, Burmannus, Gernhardus, Meyerus, aut scripturam „cocum" codic. Aldinis, Bamb. a 1 m. Paris. 4. 5. sustentatam, ut Spaldingius, Sarpius, Zumptius, Bonnellius tuentur. Contra priores recte Sarpius Anal. p. 20 monet, orationis perpetuitatem repugnare. Quorsum enim spectant verba: „Ante palatum eorum, quam mores instituimus"? Quare non inepte Lucius Johannes Scoppa Parthenopaeus Collect. lib. II. Cap. 3. p. 950, qui „coccum" retinet, pro „palatum" scribendum esse censet „paratum". Deinde infantibus neque eam oculorum lubidinem, neque eam animi luxuriem tribuerim, quibus ad eiusmodi differentias agnoscendas aut vestium adparatus eligendos parati essent. Praeterea vehementer dubito, quamquam Burmannus adfirmavit, possitne „intellegere" de pretio coloris coccinei cognoscendo adhiberi. Ad alteram vero scripturam stabiliendam observatio Ruhnkeni ad Rut. Lup. 1, 4. p. 16 aliquid confert, „intellegere aliquem nonnunquam idem esse atque „mores alicuius tenere" velut ap. Quint. XI. 1. 10. „(Socrates) ab hominibus sui temporis parum intellegebatur." Vell. Pat. II. 116. „Silianum intellexit." Nam cur non hoc verbum ita ad infantes transferri poterit, ut artificium alicuius hominis, aut dignitatem in re familiari eo cognoscere significentur? Attamen literarum ductu in cod. Ambr. 1 et scripturae pallidissimae in margine cod. Bamb. (cuius scripturas huc illuc in margine adiectas saepe cum Ambr. 1 consentientes repperi) aliud aliquid indicatur, quod non abhorret

ab sententiarum conexu. Nam haud scio an Quintilianus scripserit: „iam iocum intellegit, iam conchylium poscit." Nam si sequentia spectamus, scriptorem mores corruptos, quibus iam infantes inquinati sunt, reprehendere adparet. Dicit enim: „Gaudemus, si quid licentius dixerint. Verba, ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis, risu et osculo excipimus, nec mirum; nos docuimus, ex nobis audierunt etc." Itaque scriptor hoc loco infantem iam iocum talem, qualem Forcellino teste Ov. A. A. III. 796, Plin. VIII. 40. 61. commemorant, sc. obscenumintellegere indicare potuit, haud enim ignoravit, quid eo ab hominibus maioribus natu inpetrare posset, non solum oscula, sed etiam conchylium. Neque vero ut Meyerum me offendit vocabulum „conchylium"; quod fere omnibus codicibus sustentari videtur, ex quo falsa scriptura cod. Ambr. 1. „cunnellum" exoriri potuit, constat enim conchylium utpote cibum delicatiorem legibus censoriis coenis ademptum fuisse, quod testatur Plin. N. H. VIII. 57. cf. Hor. Serm. II. 8. 24. Sed superest, ut alium scrupulum exponam, inde ab enuntiato hoc § 6. „Utinam liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus" .... usque ad § 9. „Verum in studiis" etc. scriptor in universum de moribus disserit, sed ita rem instituit, ut primum de educatione molli, deinde de moribus peculiariter ageret. At ubi § 7. dicit: „Ante palatum eorum, quam mores instituimus" secundam disputationis partem aggressurus videtur. Sed praeter exspectationem ad educationem mollem redit: „In lecticis crescunt: si terram attigerunt, e manibus utrinque sustinentium pendent." Quo facto ad mores revertitur. Quare ea conditione iustum sententiarum ordinem restitutum iri suspicor, si enuntiatum hoc „In lecticis crescunt .... pendent," enuntiato illi: „Quid non .... in purpuris repit?" anteponitur. Declaratur vero haec sententiarum confusio aliquatenus, si credibile est, in archetypo codicis Ambros. 1. iam confusionem aliquam extitisse, quam nescio an lacuna in Ambr. 1. a secunda manu expleta indicet.

—

I. 4. 12. „Quare ediscat puer, quid in literis sit proprium, quid commune, quae cum quibus cognatio; nec miretur, cur ex scamno fiat Scabellum, aut a pinno (quod est acutum) securis utrinque habens aciem bipinnis: ne illorum sequatur errorem, qui, quia a pinnis duabus hoc esse nomen existimant, pinnas avium dici volunt". (Scr. cod. A. 1. nisi quod pro „Scabellum" antea „Scabillum" scriptum esse videtur.)

—

Scripturam codicis Ambrosiani primi „ediscat" non est, cur repudiemus. — Variant editores aut „scabellum" aut „scabillum" recipientes. Hanc posteriorem formam, praeterquam quod codex Ambr. 1 exhibere videtur, Turicensis praebet. Quaeritur nunc, utra utri formae praeferenda sit. Grammaticorum testimonia haec sunt: Ter. Scaur. p. 2252. „alii Scapillum, alii Scabillum dicunt." Prisc. p. 615 ed. P. „scamnum, scamnellum. Apul. in I Hermagorae: „verum infirma scamillorum obice fultae fores." Diom. p. 312 ed. P. „masculina in *us* casu nominativo terminata et neutra in *um* finita eadem *ul* syllabam recipiunt, ut agnus, agnulus, scamnum, scamnulum." Incertus de Orthogr. p. 2799. „Scabella, quae lectis parvulis vel sellis ob ascensum apponuntur. Scabellum autem et Suppedaneum dicitur, quod sub pedibus sit." Ex grammaticorum testimoniis ita constitutis res difficile confieri poterit. Sin vero normam exigas, cui quidem altera diminutivorum forma subiciatur, nihil habeo, quod suppeditem, nisi Prisc. p. 615 testimonium, quod re ipsa probari videtur. „Neutra quoque in *num* desinentia geminant in diminutione l ante *um* et si g habeant ante n, in paenultima syllaba diminutivi i, non e, accipiunt, ut „tignum tigillum, signum sigillum." Incertam dumtaxat formam addere licebit: „lignum ligillum", quam cod. Leid. Nonii p. 134 praebet; ceteros codices „ligellum" exhibere ex silentio Rothii et Gerlachi coniciendum esse videtur. Neque mihi conpertum est, quid optimi libri apud Plaut. Aul. II. 4. 22. in hac forma tradant. Huc quoque referendus est „pugnus, pugillus". In hisce vocabulis omnibus, quorum ultima syllaba n litera incipit post g antecedentem, diminutiva forma, n litera reiecta, eandem commonstrat terminationem; neque mihi exempla in promptu sunt, quae huic normae grammaticae refragentur. Quare haud scio an illuc „scamnum, scabillum" pertineat, cui quidem non nisi „columna, columella" repugnare videtur. Sed evanescit haec repugnandi species, si niti licet testimonio in Forcellini lexico reperto, quod falso Quint. I. 7. tributum est, neque scio, unde petitum sit. „Olim autem columna scribebatur, licet columa pronuntiarent," unde „columella." Accedit quod ii, qui scabilla faciunt in usum tibicinum et scenae, vel potius qui scabillis pulsandis operam dant, scamillarii et scabillarii dicuntur, ut ex inscriptionibus, quas Forc. s. voce adfert, patet. Praeterea codices antiquissimi et integerrimi iis locis, quibus vox illa adhibetur, in auxilium vocandi sunt. Qua re con-

fecta, certum fortasse iudicium proferre licebit, ex caussis vero adlatis „scabillum" forma plus auctoritatis habere videtur; certe non repudianda erit.

In verbis sequentibus Burmannus, Colomesius, Spaldingius codicum deteriorum scripturam, velut Turicensis „a pinna — bipennis" retinent eamque sic explicant, ut a „pinna sc. murorum aut gubernaculorum" „bipennis" vocabulum exortum esse dicant. Quae quidem explicatio duobus testimoniis fulciri videtur uno Servi ad Verg. Aen. XI. „Bipennis dicitur, quod ex utraque parte habeat aciem, quasi duas pinnas, quas veteres dicebant," altero Noni p. 79. „Bipennis manifestum est id dici, quod ex utraque parte sit acutum. Nam nonnulli gubernaculorum partes tenuiores ad hanc similitudinem pinnari (in ed. Ald. Junii Merc. corr. est „pinnas") vocant eleganter et Varro Marcipore „de lunae bipennis (in cod. Leid. „bipinnis") ut levis passerculus." Idem in eodem: „an nos caduci, naufragi iit ciceronec. Quarum bipinnis fulminis plumas vapor Perursit, alte mesti in terram caecidimus." Idem Parmenone: „ferens ferream humero bipennem (cod. Leid. „bipinnem") securem." Hanc explicationem si sequimur, quae secuntur, prorsus reclamant. Mihi enim, quamquam Gesnerus, Burmannus, Spaldingius contra sentiunt, qui iniuria scriptorem et vocabulo „pinna" et vocibus „duabus pennis", nihil de hac confusione indicantem, idem sc. rem acutam significare faciunt, mihi, dico, manifestum est, Quintilianum eum nonnullorum hominum errorem vituperare, ex quo, cum nulla vocalium in hac re mutatio ab iis statueretur, vocabulumque „bipinnis" ex „pennis avium" originem duxisse crederetur, falso vocabulis prorsus diversis eadem vocalis sc. i tribuebatur. Scripturae enim „bipinnis" fidem habendam esse, plurimorum codicum in hac re consensu docemur, veluti cod. Medicei Vergiliani, testante Wagnero, cod. Plinianorum N. H. XI. 28., libris antiquis Priscianeis p. 160 ap. H. et p. 339. libri Leidensis Nonium continentis scripturis, quas supra adtuli, denique scriptura libri Ambros. 1. hoc quem tractamus loco. Nunc demum Isidori testimonium in auxilium vocare licebit, quo genuina Fabi verba restituentur. Orig. XVIIII. 19. „Pennum antiqui acutum dicebant." Itaque hoc modo Quintilianus scripsit: „aut a penno (quod est acutum) securis utrinque habens aciem bipinnis: ne illorum sequatur errorem, qui, quia a pennis duabus hoc esse nomen existimant, pinnas avium dici volunt." Pennas autem avium e vocalem antiquo tempore continuisse Vel. Long. p. 2243. testatur: „Pinnas murorum, pennas avium dicimus." — Homiote-

leuton „qui quia" denique, quod Regium et Spaldingium offendit, duobus locis optimi codices tuentur. Q. III. 6. 6. XII. 10. 15.

—

I. 4. 13. „Neque has modo noverit mutationes, quas adferunt declinatio aut praepositio, ut secat secuit, cadit excidit, caedit excidit, calcat exculcat, et fit a lavando lotus et inde rursus illitus et mille talia, sed quae rectis quoque casibus aetate transierunt. (Scr. cod. Ambr. 1.)

—

Participium „illitus" derivari non posse a vocabulo antecedente „lotus" quivis videt. Sed ne „illotus" quidem, codicum deteriorum scriptura, eam, quae hoc loco desideratur, literae mutationem exhibet: transitus enim consonantis n in l, ita ut pro „inlotus" „illotus" indicetur, quam rem Spaldingius tetigit, propterea non sufficit, quod utrum Quintilianus „inlotus" an „illotus" scripserit, dici vix poterit, deinde quod literae in verbo ipso commutatae exemplum expectatur. „Fortasse igitur, dicit Spaldingius, Quintilianus scripsit „lautus", ut eo aptius deinde diceret „inde rursus illotus."" Faciliore autem mutatione codicis Ambr. 1. scripturae uno literae ductu adiecto, quo ex „inlitus" „inlutus" efficiatur, genuinam formam restitutum iri existimo. Quae forma ut exemplis confirmetur, hos locos addere licebit. „Inluta toralia" Hor. Serm. II. 4. 84. scriptura cod. Bern. quem Ritterus B insignivit, Sangall. Hispan. aliorumque. „Inlutos echinos" H. Serm. II. 8. 52. scr. cod. Blandiniorum, Bern. B. Hisp. aliorumque. „Vinaceos illutos et faecem relinquito" Cato de R. R. 147. „Qui (Christus) per altissimos gurgites pedem ferebat illutum" Arnob. I. 26. Apud Plaut. Paen. I. 2. 22. „Nam quae lavata est, nisi Perculta est, meo quidem animo, quasi illuta est," nescio, an optimi libri scripturam „illuta" praebeant, sed certe coniectura, ut Doederlinius censet Syn. II. p. 46 elicienda esse videtur. Hinc vero colligi potest, Doederlinum Syn. No. 36. § 19. propriam vocabuli notionem, quam „illuvie absitus" expressit, effugisse. Transitum vocalis o in u, rem nunc satis notam, plurima exempla commonstrant velut pocolom Ritschl. fict. Lat. p. 8. 17. 18. poculum, consoluerunt Senat. cons. de Bac. consuluerunt, popolum Mar. Vict. p. 2458 populum, colpam Cassiod. p. 2290 culpam dederont, probaveront Quint. I. 4. 16. dederunt probaverunt, faciondam Grut. 95. 6. faciundam, verecondus Grut. 1061. 1. verecundus. Vocabula denique, in quibus vocales au, o, u reperiuntur quodam modo formis „lautus,

lotus, inlutus" similia, haec sunt: raudus, rodus, rudus Fest. p. 205. rauduseulum, roduseulum, ruduseulum Fest. p. 265, 244. Cf. Corssenum über Aussprache, Vokalismus und Betonung der lateinischen Sprache in hac re locupletissimum p. 170. p. 239—265.

—

I. 4, 10. „Atque etiam in ipsis vocalibus grammatici est videre, an aliquas pro consonantibus usus acceperit, quia iam sicut tam scribitur, et quos ut cos." (Scr. cod. Ambr. 1.)

—

Haec verba plurimis difficultatibus obnoxia esse interpretum quidem labore declarari videtur, quorum alii alios aut explicandi aut criticae artis exercendae conatus proposuerunt. Scripturam, quam recepit Spaldingius ex codice Almeloveeniano multisque editionibus veteribus „quia iam sicut tam scribitur et vos ut cos" Sarpius in libello de Tachygraphia p. 31 ita interpretatur, ut sententiam ad eam tachygraphorum consuetudinem referat, qua I et T, U et C simillimo literarum ductu scribuntur. Cf. U. F. Kopp Pal. crit. p. 91. 92. T. 1. Hoc igitur loco Quintilianum usum literarum U rotundatae et I cuneatae pro vau et iod ideo inprobasse ait, quod hac ratione facile commutarentur iam et tam, vos et cos. — Sed primum tachygraphorum notis ob incertam conpendiorum significationem scientiamque ambiguam exiguum tantum momentum tribuendum est, deinde hoc scripturae genus scriptori indicandum erat, tum etiam his difficultatibus praetermissis id, quod volt Sarpius, iam ideo displicet, quod non similitudo, sed eadem scribendi ratio illis verbis conprehendi videtur. — Spaldingius, ut inter iam et tam, sic inter vos et cos parem putat intercedere rationem, utrobique enim vocalem hic U, illic J abire in consonantem, ut possit conparari eiusmodi syllaba cum altera, in cuius initio sit manifesta consonans. Residere autem scrupulum Spaldingius suo iure adfirmat in verbo „scribitur", pro quo malit „pronuntiatur, dicitur". Praeterquam igitur quod editor ille de Fabio summopere meritus fundamentum interpretationis sibi ipse incertum reddidit, sententia eius ne in ea quidem verba quae probat quadrare videtur, in quibus per se nihil inest, nisi eadem dicendi ratio quarundam literarum ad geminam vocalium i et u naturam conprobandam, restant denique offensiones, quas infra explicare conabor. — Neque porro probanda est censoris Spald. editionis emendatio in Nova germana bibliotheca Vol. 51.

p. 533 prolata, quam recepit Meyerus: „quia jam sicut iam scribitur, et vos ut uos" i. e. usus duas vocales pro consonantibus accepit, i enim consonans est in vocabulo iam et u consonans est in vocabulo uos. Lapidariis enim monumentis codicumque antiquorum vestigiis satis constat, neque i neque u, ubi in iis consonantis vis inest, propriis fuisse literis expressas, paucis illis annis exceptis, quibus Claudi Caesaris inventum a nonnullis scribebatur, de quo copiosius disputavit Bücheleru‍s de Cl. Caes. grammatico p. 3 sq. — Meliore quidem fundamento, ex optimis codicibus petito usus est Gesnerus: „quia ïam sicut tam scribitur et quos ut cos," hanc addens interpretationem: „iam scribitur et pronuntiatur pro monosyllabo non minus quam tam, ergo I non est vocalis in ea voce, sed consonans; quos ut cos; itaque ἡ V vim vocalis non habet: neque iunguntur in his vocibus I et A, itemque V et O ut vocales." Sufficit denuo commonefacere, quod pronuntiandi notio in ipsis verbis non inest, deinde quod Quintiliani verba de litera q l. XII. 10. 30. interpretationi Gesnerianae, ut postea magis elucebit, obstant. „Duras et illa (sc. q.) syllabas facit, quae ad coniungendas demum subiectas sibi vocales est utilis, alias supervacua, ut equos hac et equum scribimus; cum etiam ipsae hae vocales duae efficiant sonum, qualis apud Graecos nullus est ideoque scribi illorum literis non potest." Quamquam igitur scripturam *quos* corruptam esse concedendum et ad id interpretationis Spaldingianae fundamentum revertendum est, quod supra memini, sc. scripturam *vos*, tamen ab illa ob codicum, quibus nititur, auctoritatem ita me egredi oportet, ut ostendam, quo pacto in libros inrepserit. Itaque Lachm. ad Lucr. p. 220 observatio mihi in auxilium vocanda est, qua formarum *quos* et *cos* similiumque tantum ut videtur in codicibus antiquis deprehensarum usus commonstratur. Quare cum *cos* semel scriptum esset, *vos* in *quos* corruptum esse videtur. Verba haec: „quia iam sicut tam scribitur, et vos ut cos," si explicari possunt, nulla interpretatio in promptu esse videtur, nisi haec, non quidem mea, sed aliunde sermocinatione mecum communicata; (spero me eam recte relaturum) ut *tam* ita et *iam scribitur;* hoc ideo mirabile est, quod satis constat, quomodo *i* in vocabulo *iam* pronuntietur; non enim tamquam vocalis cum vocali sequente in unum sonum coalescit, attamen cum literis sequentibus, ut *t* cum *a* et *m*, monosyllabam efficit; quare consonantis vim habet; neque vero propria litera eam indicat; idem in „vos et cos" valet. Haec quidem sententia, quamquam acute excogitata est, ta-

men in ea me tuto acquiescere nego; nimis enim inusitate eam indicatam potius quam expressam esse censeo. Refellendi munere peracto ante omnia non diffitebor, me emendationem, hoc quidem nomine certo dignam, proferre non posse; nam inventum illud meum, quod infra adferam, postquam viri me multo acriores doctioresque repudiaverunt, usquequaque emendationis verae instar habere, vereor, ne arrogantiae superbiaeque sit. Quod nihilominus non retinebo, ut quam Fabi de literarum geminae naturae, ubi consonantis officio funguntur, sono sententiam fuisse existimem, et quid inde hoc loco, ubi, ob sententiarum conexionem, vocabulorum iam et vos pronuntiationis commemorandae occasio data erat, facile dicere potuerit, exponam. Primum igitur Quintilianum ipsum de u consonante, quae dicitur, audiamus disserentem. Paullo ante I. 4. 7. 8. „Desintne aliquae nobis necessariae literarum .... ut in his seruus et uulgus Aeolicum digammon desideratur;" I. 7. 26. „Nostri praeceptores seruum ceruumque U et O literis scripserunt, quia subiecta sibi vocalis in unum sonum coalescere et confundi nequiret; nunc U gemina scribuntur ea ratione, quam reddidi; neutro sane modo vox, quam sentimus, efficitur. Nec inutiliter Claudius Aeolicam illam ad hos usus Ⅎ literam adiecerat." (Consulto literae ipsius figuram recepi, quia H. Ernstius in Thesauro Meermanni T. 1. p. 120 in codice Mediceo eam reperiri dicit. In codice Ambr. 1. Bamb. in marg. Lassb. in marg. F literam Turic. f. literam.) XII. 10. 29. „Aeolicae quoque literae, qua SerVum CerVumque dicimus, etiamsi forma a nobis repudiata est, vis tamen nos ipsa persequitur." I. 4. 11. „U, quomodo nunc scribitur (sc. sibi insidit) Uulgus et Seruus." Ex his igitur testimoniis satis manifestum est, qualem scriptor de u, quae consonantis vice fungitur, sententiam habuerit, propriam enim literam ad sonum novum exprimendum desiderat, Claudi Caesaris inventum reiectum esse inprobat. Itaque si hoc loco *u* literae ante *os* vim descripturus erat, quidni cum paullo ante I. 4. 8 literam ipsam commemoraverit, „vos ut Ⅎos sonat" scribere potuit? Genuinam autem figuram a Quintiliano adhibitam fuisse cum per se verisimile sit tum eo conprobatur, quod I. 7. 26. Ⅎ signum in codice Mediceo conservatum esse H. Ernstius testatur, quod vix coniectura inrepere potuit. Hoc quia a librariis non intellegebatur, facillime in „eos" scripturam cod. Turic. commutandi occasionem praebuit. Confusionem eos et cos vocabulorum in cod. quidem Lucr. Hugo Purmannus Lucr. quaest. spec. p. 27 docuit. Con-

mutatione vero exorta, verbum „sonat", quippe quod intellectu careret, deletum esse suspicor. — Difficilior iam superest de i consonante, quae vocatur, quaestio. In qua re examinanda duo sunt discernenda et qualem sonum inter duas vocales, et qualem ante vocalem tantum habuerit. Temporibus quidem antiquis i literam in pronominibus „huius cuius eius" consonantis munere functam non esse Ritschelius Prol. Plaut. p. 153 docuit. De pronuntiatione vero horum vocabulorum Lachmannus in Comm. Lucr. p. 27 egit. Inter antiquissima de i inter vocales posita grammaticorum testimonia illud Ciceronianum apud Vel. Long. p. 2219 referendum est. „In plerisque (sc. literis) Cicero videtur auditu emensus scriptionem, qui et Aiiacem et Maiiam per duo i scribenda existimavit; quoniam unum esse animadvertunt. Siquidem potest et per unum i enuntiari, ut scriptum sit. Unde illud pressius et plenius sonet, per duo i scribi oportere existimat. Sic et Troiiam et si qua talia sunt." Huc quoque pertinent quae secuntur. „Inde crescit ista geminatio et incipit per I tria scribi coniiicit, ut prima syllaba sit communis, sequentes duo iicit: nam si est aliud, iacit, pro a i substituitur, ut vocalis obtineat manente priore I quae consonantis vicem implebat. At qui Troiam et Maiam per unum i scribunt, negant onerandam pluribus literis scriptionem, cum sonus ipse sufficiat: hanc enim naturam esse quarundam literarum, ut morentur et enuntiatione sonum detineant, quod accidit et in eo, quod dicimus, hic est; cum ipse vastitas literae in enuntiatione pinguescat: atque ipsa natura i literae est, ut interiecta vocalibus latius enuntietur, dum et prior illam adserit et sequens sibi vindicat, et cum appareat per unum i Troiam scribi apud Graecos et Maiam, non est nobis altera i necessaria; cum in nomine non scriptio immutetur, sed sola enuntiatio." Cf. Quint. I. 4. 11. Ad eandem rem pertinet Prisciani testimonium p. 545. ed. P. „. . . . . ut maius, peius, eius, in quo loco antiqui solebant geminare eandem i literam et maiius, peiius, eiius scribere, quod non aliter pronuntiari posset, quam si cum superiore syllaba prior i, cum sequente altera proferretur, ut pei ius, ei ius, mai ius; nam quamvis sit consonans, in eadem syllaba geminata iungi non posset: ergo non aliter quam „tellus, mannus" proferri debuit. Unde „Pompeiii" quoque genetivum per tria i scribebant, quorum duo superiora loco consonantium, ut si dicas Pompe*ll*i (coni.); nam tribus i iunctis qualis possit syllaba pronuntiari? quod Caesari doctissimo artis grammaticae placitum a Victore quoque in arte grammatica de syllabis

conprobatur." Denique ab hac re nominis Latini scriptura apud Strabonem, Οὐελλαίου non aliena est; cf. Corss. l. l. p. 131. Ex his igitur testimoniis, maxime quod ap. Vel. Long. l. l. *i* vocalibus interiecta et *i* in pronomine *hic* adhibita inter se conparantur, elucere videtur, literae i sonum, ubi duplicis consonantis vice aurea quidem aetate fungebatur, ab i vocalis potestate, quemadmodum in hic pronomine adparebat, vix diversum fuisse. — Idem Corssenus l. l. p. 132 docuit „das j(?) im Inlaut einfacher Wörter zwischen Vokalen nach langem Vokal hatte einen breiteren, weicheren und vokalähnlicheren Laut." — Alterum i literae loco consonantis simplicis adhibendae genus ita demum ordine et via diiudicabitur, si tam diu a priore i literae pronuntiandae ratione, non tempore sed natura abhorruisse negabitur, donec iustae huius commutationis caussae sese obtulerint. Illud mihi nullius momenti esse videtur, quod apud poetas revera consonantis vim habet, nam idem in alterum genus cadit, cuius pronuntiationem Ciceronis temporibus Velique Longi cognovimus. Quod i ante vocales non solum apud poetas, sed omnino in ipso sermone Latino consonantis loco habebatur, non propterea factum esse videtur, quia usquequaque *jod* Germanicae literae sonum obtinuerit, sed quia suapte natura, ut *u*, cum vocalibus diversis in unum sonum coalescere nequit. Quae res in aliis vocalibus secus sese habet, ut Quintilianus infra dixisse existimatur. Exempla vero, quae Corss. l. l. p. 127 ad illum sonum evincendum adtulit, certam stabilemque caussam exhibere non video. Praeterea nomen i consonantis apud grammaticos, quid in sonum valeat, mox videbimus. — E contrario plura sunt, quae me inpediunt, quominus cum Corsseno et, nisi fallor, fere omnibus grammaticis credam, i consonantis officio fungentem iam Augustea aetate primisque imperatorum saeculis sonum „iod" Germanicae tamquam legitimum habuisse. Primum, quod per se parum valet, Quintiliani ipsius, sonorum exactoris acutissimi reliquorumque, nisi fallor, omnium grammaticorum antiquiorum et aequalium silentium de i, ubi consonantis loco habebatur, ab i vocalis sono, pronuntiandi diversitate. Maioris vero momenti Terentiani Mauri vs. 660 p. 2394 P. testimonium esse censeo, cuius aetas etiam post Lachmanni disputationem acutam et doctam nondum satis constat.

vs. 660. „. . . . . a vocalibus (sc. i et u)
prorsus . . . . segegrandas sic utrasque (sc. i et u cons.) existimem,
nomen i quod consonantis, u vicem solam gerat

hanc enim sensu per artem tradito dinoscimus:
illius conversionem et vox et aures arguunt."

Cum Lachmanno, qui vs. 662 pro scriptura editionis Mediolanensis „nomen" coniecit „momen" propterea consentire nequeo quia non solum nihil in illa video offensionis, sed etiam cum versu sequente prorsus eam consentire existimo. Non enim officium literarum, sed soni natura describitur. Ex tribus autem rebus, quas grammatici singulis literis tribuere solent, sc. „nomen, figura, potestas" „nomen" tantum a Terentiano i consonanti hoc loco adiudicatur. Cf. Prisc. p. 540. Mar. Vict. p. 2452. Quaeritur praeterea, ad quam literam vs. 663, ad quam vs. 664. pertineat. Pronominibus „haec ille" cum ita utatur Terentianus, ut praeter primarium ordinem „hic" quoque ad prius sententiae membrum referat, ut vs. 87. ex argumentis extrinsecus adferendis et ex verborum ipsorum interpretatione res diiudicanda est. Quid igitur hoc „u vicem solam gerat" sibi volt? Quod si „partibus, officio, munere fungitur" explicaretur, non aliquid proprium u consonanti tribueretur, nam idem in i consonantem cadit. Itaque nihil superest, quam ut „vicem" vocabulo sequente „conversionem" interpretemur, quae quidem ratiocinatio eo confirmatur, quod Terentianus, ubi in capitibus „de literis" „de syllabis" de i consonante disputat, nusquam i soni naturam revera conversam esse dicit, id quod de u consonante praeter hunc locum ter alias contendit. Cf. vs. 533 sq. 642 sq. 160—165. — I consonans ergo non nisi „sensu per artem tradito" ab i vocali „dinosci" Terentianus dicit: quare cum aures per se non suffecerint ad differentiam illam percipiendam, i consonans ad iod Germanicae literae sonum illo tempore nondum pinguefacta esse videtur. Sed quo tandem pacto i consonans vocari potest a Terentiano ipso et pluribus grammaticis? Nihilne interfuit inter i vocalem et i consonantem? Sane interfuit aliquid, sed non eiusmodi, ut naturam soni revera conversam et novam idcirco literam necessariam censuerint grammatici antiquiores. Nodum expediet Terentianus ipse

146. „Hanc (sc. u) et modo quam diximus i simul iugatas
verum est spatium sumere vimque consonantum,
ut quaeque tamen constiterint loco priore."

Quid vero sit consonantis spatium ex his verbis intellegitur:

85. „Elementa, rudes quae pueros docent magistri,
vocalia quaedam memorant, consona quaedam,

haec reddere vocem quoniam valent seorsa,
nullumque sine illis potis est coire verbum:
at consona quae sunt, nisi vocalibus aptes,
pars dimidium vocis, opus proferet ex se,
pars muta soni comprimet ora molientum;
illis sonus obscurior impeditiorque
ut cunque tamen promitur ore semicluso,
vocalibus atque est minor, auctiorque mutis."

Hinc triplex literarum spatium fuisse conlegas, maximum vocalium, dimidium semivocalium, minimum mutarum. Itaque i consonantis sonus conpressus tantum, non conversus fuisse videtur. — Accedit aliud, quod in hac quaestione neglegere non licet. Corsseni enim studiis l. l. 22—30 denuo stabilitum est, Romanos antiquos ci sequente vocali non nostro more zi, sed consonantium propria vi conservata pronuntiavisse. Legitimum autem c consonantis sonum eundem atque k fuisse constat. Deinde Corssenus scripturam ci et ti in nonnullis vocabulis iam saeculo secundo post Chr. nat. fluctuasse, certo ex inscriptionibus constituit; exempli gratia adhibebo haec: „Larcius et Lartia, Lacia, Latia, Marcius, Martia, Ancius, Antius, Mucius, Mutius, Accius, Attius" etc. cf. Corss. l. l. p. 25; praeterea quia in cod. Mediceo et Palatino Vergiliano aliisque libris antiquissimis scripturae „solatium solacium, suspicio, suspitio, conuicium, convitium, secius, setius, cocio, cotio" conmutantur, illam ci et ti formarum confusionem iam Augustea aetate locum habuisse coicit. Ubi vero huius conmutationis caussas investigat, sibilo aliquo ad explicandum utitur, quem inscriptionibus Christianae aetatis cf. C. l. l. p. 24. et Pompei in lib. Donati de barbar. et metapl. Lindem. p. 424 grammatici aetatis posterioris testimonio conprobatum ad tempora multo priora attenuatum quidem transfert. Nititur haec suspitio etiam caussis ex Umbrici aliorumque sermonum analogia rationibusque etymologicis petitis. Mihi cum nondum persuasum sit, Corssenum, grammatici antiquioris testimonio destitutum opinionem suam coarguisse, nihil superest, quam ut rem viris me doctioribus diiudicandam relinquam. Sin vero Corssenus hac in re magis suspicando quam demonstrando usus est, videndum erit, an Quintiliani ipsius testimonium I. 11. 4. „In primis vitia, si qua sunt, oris emendet, ut expressa sint verba, ut suis quaeque literae sonis enuntientur. Quarundam enim vel exilitate vel pinguitudine nimia labora-

mus; quasdam velut acriores parum efficimus et aliis non dissimilibus sed quasi hebetioribus permutamus. Quippe ...... cum c ...... non evaluerunt, in t ...... molliuntur" (scr. cod. A 1) in eas tantum res cadat, quas Spaldingius ad hunc locum et Schneiderus Elementarlehre der lat. Sprache T. 1. p. 241 commemorant, scilicet commutationem formarum curam et turam (infantium more, quorum nullam mentionem fecit scriptor) sarcophagus et sartophagus Grut. p. 589. nr. 7. vitxit pro vixit aut vicxit Grut. p. 1059. nr. 5. Basculi Varr. R. R. II. 10. 4. Bastuli apud Plinium et Pomponium Melam, Vectones, Vettones aliarumque, an in confusionem quoque formarum ci et ti in vocabulis supra adlatis similibusque. Quodsi sibilum illum, quem Corssenus statuit, duobus prioribus post Chr. nat. saeculis in dubitationem vocare licebit, aliam quodammodo indicare viam proderit, qua, ut puto, sibilus facillime exoriri potuit. Dubitari enim nequit, quin Corssenus recte iudicarit de i consonantis sono, quem postremae aetatis inscriptiones certo commonstrant in j Francogallicam et in j Italicam pinguefactum, quocum consentire videntur Prisc. verba p. 544 ed. P. infra adlata. Quare si iure inter i consonantem Terentiana et inter eandem i Francogallica pronuntiatam ratione transitum fuisse existimamus, hunc *jod* Germanicae potestate expletum fuisse, a verisimilitudine non abhorrere adparet. Qua quidem soni commutatione statuta vocis quadam interruptione opus erat, si postquam „io, ia, ie, ii, iu" non antiquo more, a Terentiano indicato, sed Germanico modo, „jo, ja, je, ji, ju" pronuntiabantur, t vel c antecedens non in z literae similitudinem contaminaretur. Hanc vero soni depravationem Quintiliani tempore nondum legitimam fuisse eo fortasse magis probatur, quod apud Plut. Num. C. 12 φιτιάλιοι legitur cf. Corss. l. l. p. 23 praeterea p. 19. 21. 22. Denique non inutile erit, Prisciani p. 544 ed. P. testimonium adferre. „Videntur tamen i et u, cum in consonantes transeunt, quantum ad potestatem, quod maxime est in elementis, aliae literae esse praeter supradictas. Multum enim interest, utrum vocales sint an consonantes; sicut enim, quamvis in varia figura et vario nomine sint k et q et c, tamen quia unam vim habent tam in metro quam in sono, pro una litera accipi debent, sic i et u, quamvis unum nomen et unam habeant figuram tam vocales quam consonantes, tamen quia diversum sonum et diversam vim habent in metris et in pronuntiatione syllabarum, non sunt in eisdem, meo iudicio, elementis accipiendae: quamvis et Censorino, doctissimo artis grammaticae

idem placuit." Observa enim, quaeso, quanta cum modestia Priscianus suum de i consonantis potestate iudicium proferat, videlicet ubi sonus priscus ad nostram et tum ad Francogallorum denique ad Italorum dicendi rationem magis magisque condensatus erat, necessario grammaticorum sententiam ab eorum, qui antecesserant, dissidere oportuit. Ex consensu vero Censorini, cuius aetas in priorem saeculi tertii partem post Chr. nat. referenda est, cum Prisciano, mihi aliqua movetur dubitatio, an recte Lachmannus a Ruhnkenio discrepans Terentiani Mauri aetatem in finem saeculi tertii post Chr. nat. rettulerit. — I igitur consonantis, quae dicitur, sonus ubi ita constitutus erat, ut vi tantum condensata, non vero natura ab i vocalis sono abhorreret, non mirandum videtur, quod neque Quintilianus, neque Terentianus, etsi ter uterque de u consonantis sono tamquam ab u vocale diverso verba facit, nusquam i consonantis sonum revera conversum fuisse commemorant. Praeterea ita demum Claudius Caesar vituperatione carebit, qui quamquam u consonantem aliosque sonos propria litera indigere sentiebat, i consonantis officio fungentem prorsus neglexit. Quidni igitur loco supra indicato scribere potuit Fabius: „quia iam, sicut scribitur, et vos ut Ⅎos sonat." Hoc modo nunc sententias facimus sese excipientes: „grammatici est videre, an aliquas vocales usus pro consonantibus acceperit," ideo non dicit „an usus aliquas vocales in consonantes converterit", quia in vocabulis *iam* et *vos*, quae instar omnium exempli gratia adferuntur, non eiusmodi soni audiuntur, qui revera consonantium naturam exhibeant. Neque vero eandem, quam vocales conditionem subeunt, quippe quae cum vocalibus sequentibus in unum sonum coalescant, ut mox videbimus; haec res in vocabulis *iam* et *vos* secus sese habet. Verbum „sonat" eadem ratione duobus aliis locis a Quintiliano adhibetur I. 7. 29. „Nec Gnaeus eam literam in praenominis nota accipit, quae *sonat*" 1. 7. 30 „Ego (nisi quod consuetudo obtinuerit) sic *scribendum* quidque iudico, quomodo *sonat*." Particula „tam" a sciolo librario excogitata esse potest, qui postquam verbum finitum „sonat", ob *Ⅎos* pronomen in *eos* commutatum, non amplius repperit, sententiam mancam ea explicatione supplerit, quae tantum simillima I et T literarum forma niteretur.

—

I. 4. 10. „At quae ut vocales iunguntur aut unam longam faciunt, ut veteres scripserunt, qui geminatione earum velut apice utebantur, aut

duas; nisi quis putat etiam ex tribus vocalibus syllabam fieri, si non aliquae officio consonantium fungantur. Quaeret hoc etiam, quomodo duabus demum vocalibus in se ipsas coeundi natura sit, cum consonantium nulla nisi alteram frangat. Atqui littera I sibi insidit, coniicit enim est ab illo iacit." (Scr. cod. A 1. verba haec „cum consonantium nulla nisi alteram frangat" man. 2 lineae superscripsit pro „littera I" reperitur „litteram I" in vocabulo „conicit" m 2 *i* superscripsisse videtur.)

—

Ad vocabula „unam" et „duas" non „syllabam", sed „vocalem" mente supplendam esse, recte contra Gesnerum Spaldingius contendit. Nam quo tandem pacto Gesnerus recte procedentem faciet disputationem „nisi quis putat, etiam ex tribus vocalibus syllabam fieri"? deinde verbis ita explicatis diphthongi non commemorantur, quas quidem hoc loco necessario desiderabis, ubi singula vocalium una syllaba coniungendarum genera explanantur. Prima enim enuntiati parte „aut unam longam faciunt, ut veteres scripserunt et q. s." id tantum genus indicari, quod Attius vocalibus A, E, U geminis scriptis expressit Ritschelius Monum. epigr. trib. p. 22 sq. viris doctis persuasit. Itaque nisi Quintiliano exponendi neglegentia tribuatur, illis verbis diphthongi non conprehenduntur. — In editionibus veteribus sententiam sequentem ita scriptam reperies: „nisi quis putat, etiam ex tribus vocalibus syllabam fieri, quod nequit, si non aliquae officio consonantium fungantur." Verba autem, „quod nequit" in optimis codicibus omissa suo iure tamquam supervacanea atque spuria Meyerus et Zumptius reiecerunt. Hoc quidem additamento „nisi quis putat .... fungantur" Ritschelius in monum. epigr. trib. p. 22 fieri posse suspicatur, ut illuc spectarit Quintilianus, quod reapse per aliquod tempus de certa quadam doctrina AEI scriptum est pro AE vel AI. Fieri sane potuit, sed quia vix quattuor huius triphthongi in lapidariis monumentis reperiuntur exempla, neque ultra modicum saeculi septimi spatium, aliud quiddam ex sermone cottidiano petitum, quod primo aspectu in neutram partem quadraret, scriptoris animo obversatum fuisse suspicor, dico vocabula „quae, quoi, quia". (Particula „quia" si non a poetis, qui dactylicis numeris aurea aetate utebantur, tamen a comicis num monosyllaba usurpata esse videatur secundum Ritsch. prol. Plaut. p. 133 ambiguum est; certe Terentianus Maurus in metris trochaicis „quia" tamquam monosyllabum adhibuit.) Nam ex loco l. XII. 10. 30.

„Duras et illa (sc. q litera) syllabas facit, quae ad coniungendas demum subiectas sibi vocales est utilis, alias supervacua, ut *equos* hac et *equum* scribimus; cum etiam ipsae hae vocales duae efficiant sonum, qualis apud Graecos nullus est, ideoque scribi illorum literis non potest," cum quo haec verba conferas I. 4. 9. „an rursus aliae redundent ...... et K, quae et ipsa quorundam nominum nota est, et Q, cuius similis effectus speciesque, nisi quod paulum a nostris obliquatur, cappa, apud Graecos nunc tantum in numero manet," (haec verba, quamquam corrupta esse censeo, tamen satis valere videntur ad vim q literae conprobandam) verisimillimum fit Quintilianum u cum q unam quasi literam efficientem habuisse. Eosdem praeterea locos si cum eo quem nunc tractamus conparaveris, Fabium u post q eam habuisse vocalem, quae consonantis officio non fungeretur, aut certe consonantis sonum non haberet, adparebit. Ut igitur manifestum sit, quo iure scriptor rem hoc loco tractatam per particulas aut — aut bifariam diviserit, nullo aetatis suae vocabulo excepto, denuo ad Terentiani Mauri praecepta confugere iuvabit.

491. „syllabam nec invenimus ex tribus vocalibus."
525. „Iuno cum dico aut iuvencus, nulla differentia est,
quippe iu diphthongos esse Graeca nequaquam potest,
quod soni tres implicentur e tribus vocalibus;
quando sic Graece notatur, ut sit o et ὖ simul;
ἰῶτα quis si praelocetur, tres videmus voculas
e quibus constare supra syllabam negavimus."

Praeterea Terentianum u post q vocalem habuisse, consonantis officio non fungentem, aut certe consonantis sonum non exhibentem ex his verbis agnoscitur:

730. „Et vides *qui quoque* similiter esse vocales duas."
748. „Non tamen prior u (sc. post q) videri facta consonans potest,
consonans quia de duabus effici prior solet,
nuda sed priorque quando nec subacta est consonae,
quando et hispidam digammus sumit et formam et sonum,
nunc sonus vocalis illi, qui solet cum libera est,
praedita est vel consonanti."

Vide nunc, quem admodum Terentianus sibi nodum, quem effecisse videtur, expediverit.

719. „quippe q non constat aliter quam duabus c et u;
b velut vel k, quod esse q vides muti soni;
velut q et, c quoque et uu plenius quod post modum
sic in unam q redactae congruerunt litteram,
portio ut nunc consonantis u videri rectius,
litterae vocalis habitum quam tenere debeat.
nanque q praemissa semper u simul iungit sibi,
syllabam non editura, ni comes sit tertia,
quaelibet vocalis illis."
745. „caeterum vocalis illis si iugetur tertia,
q necesse est prima detur, et sit una syllaba."

Ex his versibus facile probatur Terentianum u post q non literam per se, sed cum consonante antecedente ita conglutinatam habuisse, ut ambas quasi unam literam effecisse existimaret. Quare vocabula „quae, quoi, quia" exceptionis tantum speciem, non veram exceptionem exhibere censebimus.

—

Venimus nunc ad locum perquam difficilem. „Quaeret hoc etiam, quomodo duabus demum vocalibus in se ipsas coeundi natura sit, cum consonantium nulla nisi alteram frangat." Prima huius enuntiati parte interpretes fere omnes i et u indicatas esse censent, ubi in una eademque syllaba geminatae scribuntur. Quod si ita esset, certe secundam vocalem non integram remanere, sed a prima adfici oporteret, quae quidem Gesneri est opinio enarrantis: „Vocalibus est natura in se ipsas coeundi, h. e. ita iunguntur nonnumquam vocales eaedem, ut quasi colliquescant, et altera alteri serviat, cedat, frangi se ab ea et comminui patiatur, ut duae vocales non amplius duarum vocalium vim habeant, sed altera transeat in consonantem." Repugnare vero huic opinioni Terentiani praeceptum videtur:

152. „Nam si iuga quis nominet; i consona fiet,
u qualis erat permanet in loco sequenti;
et cum iaculum aut dico iecur, Iovem, iuvencum,
nil ordo secundis tribuit, prior iuvatur,
versa vice si sit prior u, sequatur illa,
cum dico vide, contulit i sonum priori,
ast ipsa manet tempore quo sonabat ante.

vocalibus hoc et reliquis praedita servat;
ut vade, veni, vota refer, teneto *vultum.*"
1330. „I et u non hoc valebunt, sive praesint alteri
vel sibi cum copulantur, quia prior fit consonans,
illa quae remansit inde tempus unius tenet
sive duplum, quale et omnis, quando producta est, habet."

Quae vero Spaldingius ad volgarem opinionem stabiliendam adfert Quintiliani ipsius verba I. 7. 26. supra scripta, his vereor, ne se ipse inpugnaverit; etenim ubi duae vocales in unum sonum coalescere et confundi negantur, ibi quidem sibi insidere, sed non in se ipsas coire Quintilianum existimavisse censeo. Notionem vero numeri cardinalis hoc loco non urgendam esse ex vocabulis antecedentibus „aut duas" „etiam ex tribus vocalibus" eadem ratione pro nominibus distributivis adhibitis elucet. Denique „demum" particulam non solum cum „duabus", sed etiam cum „vocalibus" arctissime coniungendam esse mox videbimus. Iustam vero explicationem Godofredus Hermannus protulisse videtur, quam cum Meyero communicavit: „Der Sinn dieser Stelle scheint mir so genommen werden zu müssen; er wird auch fragen, wie nur ganze Vokale die Eigenschaft haben, mit einander selbst in eine Silbe oder einen Laut vereinigt werden zu können." Itaque scriptor ea respicit, quae paullo ante de duarum vocalium in unam syllabam coniungendarum ratione exposuit: „At quae ut vocales iunguntur aut unam longam faciunt .... aut duas." Quas quidem aut in unam longam vocalem, aut in diphthongum conprehensas ita adfici, ut non amplius integrae remaneant, sed altera alterius vi naturam primariam quodammodo deponat, itaque suo iure duae illae vocales in se ipsas coire dicantur, partim certe ex hisce Terentiani Mauri versibus manifestum est:

378. „porro vocalem secuta (sc. u) vim tenet vocalium,
et sonos utrosque iungit; unde diphthongos eas
Graeciae dicunt magistri, quod duae iunctae simul
syllabam sonant in unam, vique gemina praeditae
semper effectum duorum temporum custodiunt,
sive producto efferantur sive correpto sono."
1326. „Vel gemellis cum iugamus syllabam vocalibus,
misceant sonum necesse est, iure distent temporum."

Hermanni autem interpretationem verbis quae secuntur „cum consonantium nulla nisi alteram frangat" examinatis fulcire licebit. Videamus primum, quid interpretes hoc loco enarraverint. Ante omnia Gesnerus laudandus est, qui verbum „coeat", utpote si non in omnibus, attamen in optimis codicibus omissum, reiecerit. Regius autem et Pseudo Turnebus ea utuntur interpretatione, ut duas easdemque consonantes ex his verbis eliciant; mea quidem sententia falso, quia, ubi de literarum in unam syllabam conexione agitur, nullo indicio ante facto ad coniunctionem generis prorsus diversi transire nimiae neglegentiae est. Gesnero vereor ne oscitationem vituperandam tribuerem, si quod in eius editione invenitur, non calami errore ortum esse iudicarem; etsi enim rectissime contendit, „unam consonantem alteram a se diversam frangere," cui opinioni Spaldingius et G. Hermannus astipulantur, tamen iis, quae attulit ex l. XII. 10. 29. verbis, arma ad sese inpugnandum praebet, dicentem: „mutas a liquidis frangi". Slothouveri coniectura in Act. Soc. Trai. III. p. 126. secundum Meyerum in editione si revera haec est „cum consonantium nulla in se alteram frangat", nimis contorta est. Verba igitur corrupta esse Slothouverus recte animadvertit. „Nisi" enim coniunctio tam inusitate adhibita est, ut non solum a Latini sermonis, sed ab sanae mentis legibus abhorreat. Cum vero emendatio probabilis in promptu non sit, in explicatione interpretum nonnullorum, quae maximam habet verisimilitudinem ita versandum erit, ut quaedam argumenta quae ad stabiliendam eam valeant insuper adiciantur. Ad verbi „frangendi" notionem explanandam iam Burmannus, Gesnerus, Spaldingius aptissime l. l. XII. 10. 29. contulerunt. „Nam et illa, quae est sexta (sc. litera) nostrarum, paene non humana voce, vel omnino non voce potius, inter discrimina dentium efflanda est; quae, etiam cum vocalem proxima accipit quassa quodammodo, utique quotiens aliquam consonantem frangit, ut in hoc ipso „frangit" multo fit horridior." Buttmannus „frangere" ad imminutam cuiusvis consonantis potestatem post aliam in una syllaba positae pertinere contendit, quod quidem ex grammaticorum lectione patere dicit. Sed nulla grammaticorum praecepta nominatim adtulit, neque adhuc repperi, quibus huic praecepto satisfacerem. Immo refragatur Prisc. p. 547. 48. „Omnis enim litera sive vox plus sonat ipsa sese, cum postponitur, quam cum anteponitur, quod vocalibus accidens esse videtur" etc. Itaque cautius erit quaerere, quae quidem consonantes in eadem syllaba f literam

subsequantur. Nullas, nisi liquidas l et r ab f frangi posse constat. Quodsi his verbis „cum consonantium nulla nisi alteram frangat" Quintilianus l et r liquidas frangi itaque vim primariam deperdere indicat, eademque verba opponendi vim exhibeant, quaeritur, enuntiatione antecedente quoque notio verbi frangendi conprehendatur. Hoc negandum non videtur, si notionem „frangendi" a grammatico latino eiusdem rei gratia adhibitam demonstraverimus. Agroetius p. 2273 haec dicit: „Vocales omnis principes vocis, et dominae literarum, quae sicut universa fortiora naturaliter faciunt, subiecta et adiecta sibi protegunt, aequalia autem et resistentia elidunt. Nam quomodo nonnunquam inter se commissae *franguntur* et synaloepham faciunt, ita consonantes sibi creditas conservant." Quamquam Quintilianus I. 5. 17. VIIII. 4. 36. „συναλειφήν" conplexionem literarum vocat, tamen dubitari nequit, quin hoc loco „vocales fractae et synaloepham facientes" eas, quae „tamquam aequales et resistentes elidiuntur", conprehendant. Namque elisio non vocalis excludendae vim habet ut Charis. p. 249. Diom. p. 437 dicunt, si quidem vox „excludendi" vim „amittendi" habet. Videamus potius, qualem explicationem M. Val. Probus exhibeat: p. 1439. „Synoloephe est, cum inter duo verba in concursu duarum vocalium, nulla intercedente consonante, unius fit vocalis elisio, ut: „Atque ea diversa penitus." Fiunt autem Synaloephae his modis: „Interdum enim brevis in brevem cadit ut etc." Hoc loco elisio vocalis cum vocali conplexionem significat. Deinde animadverte, quid de ecthlipsi Probus p. 1440 et Quint. VIIII. 4. 40 proferant. Val. Pr. l. l. „Ecthlipsis est, cum inter se aspere concurrentium syllabarum, intercedente sola *m* litera consonante, et vocalem et consonantem, quam diximus, elidi necesse est, ut: „Multum ille et terris etc." Quint. l. l. „Atqui eadem illa litera (sc. m) quotiens ultima est, et vocalem verbi sequentis ita contingit, ut in eam transire possit, etiamsi scribitur, tamen parum exprimitur, ut: „Multum ille et" „Quantum erat." adeo ut paene cuiusdam novae literae sonum reddat. Neque enim eximitur, sed obscuratur, et tantum aliqua inter duas vocales velut nota est, ne ipsae coeant." Haec quidem testimonia, etiamsi ex diversae aetatis scriptoribus petita sunt, idcirco ordine indicato bene sese excipiunt quod notiones „synaloephe et elisio" illo modo explicatae eandem sonorum rationem grammaticorumque normam commonstrant. Itaque duae vocales in se ipsas coeuntes fractae dici possunt. Sed quo pacto? utrum utravis sese ipsam frangit? an vero altera

alteram? Hoc alterum tantum in Fabi verba quadrare posse, quibus non solum de duabus eisdemque vocalibus in unam syllabam conprehendendis, sed etiam de diphthongis agitur, quivis videt. Enuntiato autem sequente „cum consonantium nulla nisi alteram frangat" hoc indicatum esse videtur: duarum consonantium non nisi alteram, si quidem liquida sit, a consonante antecedente sc. muta frangi. Explicationem Terentianus Maurus praebet 832. „Quattuor post hanc (sc. E) locatas (sc. L, M, N, R) Graecus udas nominati;
lubrica est natura in illis nanque et alternus vigor,
nunc enim vocalis usum, nunc ministrant consonae,
et pedum vel hinc vel inde sublevant discrimina."

Olim putavi verba illa facili emendatione sanari posse, si scriberetur: „cum consonantium nulla nisi altera frangatur," sed non difficile est, quid huic coniecturae obstet, reperire. Tertium binarum literarum in unam syllabam coniungendarum genus et inde nova sonorum conditio tum exoritur, si i et u literae sibi quaeque insidunt. De i sibi insidente in vocabulo „coniicit" Lachm. egit ad Gaium III. 119 et in comm. Lucr. p. 136. Sed vide, anne hoc modo verba in iustum ordinem redigantur, si scribitur: „Atqui litera I sibi insidit coniicit, est enim ab illo iacit."



Apographon codicis Ambrosiani primi

quod **Ceriani**, *Viri Rev. et Doct., comitate humanitateque insigni mecum communicatum est.*

ingenii studiique corrumpant, sicut haec ipsa sine doctore perito studio pertinaci. scribendi. legendi. dicendi multa et continua exercitatione: per se nihil prosunt

II QUEMADMODUM PRIMA ELEMENTA TRADENDA SUNT

Igitur nato filio pater spem de illo primum quam optimam capiat, ita diligentior a principiis fiet. falsa enim est querella paucissimis hominibus uim percipiendi quae tradantur esse concessam, plerosque uero laborem ac tempora tarditate ingenii perdere nam contra plures reperias et faciles in excogitando et ad discendum promptos, quippe id est homini naturale ac sicut aues ad uolatum equi ad cursum ad saeuitiam ferae gignuntur ita nobis propria est mentis agitatio atque sollertia, unde origo animi caelestis creditur, hebetes

S

uero et indociles non magis secundum naturam hominis eduntur quam prodigiosa corpora et monstris insignia sed hi pauci admodum fuerunt argumentum quod in pueris elucet spes plurimorum, quae cum emoritur aetate manifestum est non naturam defecisse sed curam, concedo sed plus efficiet aut minus. nemo reperiatur qui sit studio nihil consecutus; hoc qui peruiderit. parens factus: acrem quam maxime datur curam spei futuri oratoris impendat, ante omnia ne sit uitiosus sermo nutricibus quas si fieri posset sapientes chrisippus optauit, certe quantum res pateretur optimas eligi uoluit, et morum quidem in his haud dubie prior ratio est.

Marginal notes: praestat tamen ingenio alius alium (to "concedo sed plus effi|ciet"); paniguterit (interlinear above "uiderit parens"); chrysippus (beside "chrisippus")